

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

PARALYSI

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS SPECTABILIS

DOMINI DECANI ET TOTIUS INCLYTAE

FACULTATIS MEDICAE

PRO

LAUREA DOCTORATUS RITE

CONSEQUENDA

IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA PUBLICAE.

DISQUISITIONE EMIL. PASTORIS.

SUBMITTIT

JOANNES HUTTA

ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER.

In Theses adnexas publice disputabitur in Palatio Uni-
versitatis majore die Julii 1831.

PESTINI,
TYPIS LANDERERIANIS.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

COMITI

JOSEPHO SENIORI APPONYI

DE EADEM

SACRAE CAES. ET REG. APOST. MAJESTATIS

CAMERARIO. etc. etc.



V I R O


ERUDITIONE MERITIS IN PATRIAM HUMANI-
TATE AC LIBERALITATE NULLI SECUNDO,
SCIENTIARUM CULTORI, ERUDITORUM FAU-
TORI AC MAECENATI GRATIOSISSIMO BENI-
GNISSIMO HAS LABORUM SUORUM PRIMITIAS
VELUT PERPETUUM GRATITUDINIS AC VE-
NERATIONIS PIGNUS DEVOVET.

AUCTOR:

Paralysis (die Lähmung) **Celso Resolutio Nervorum.**
Nonnullis Apoplexia partialis. Est subita, vel lente
evoluta suppressio exercitii sensus, et motus muscularis
a nervorum his functionibus dicatorum activitate impe-
dita. (Schmalz Diagnostik.)


Prima Partitio Paralyseos petitur a functionibus vi-
tae animalis perturbatis, ubi motus cum sensu aboliti sunt
Paralysis perfecta, ubi alterutra harum functionum af-
fecta est **Paresis** nuncupatur. Si sensu normali existente
motus vacillat **Acinesia**, vel **Paresis motus**. Si contra:
Anodynia, **Anaphia**, **Nevroblacia**, vel **Paresis sensus** au-
dit. Singula harum quoad gradum variare potest. Altera
divisio a Parte affecta ducitur: huc refertur **Hemiplegia**
vel **Hemiplexia** jam dextra iam sinistra, prouti hoc vel
illud latus occupat. **Paraplegia superior** et **Paraplegia in-**
ferior a superioribus vel inferioribus extremitatibus, **Pa-**
ralisis artuum universalis ab omnibus extremitatibus af-

fectis. Paralysis Cerebralis vel Appoplexia topica a Cerebro; Paralysis Spinalis, medularis a Medula Spinali. Topicas Paralyces, ad unum organon, vel membrum limitatas ab affectione singularium nervorum ortas, a parte laesa denominamus: huc referuntur: Ophthalmoplegia, Blepharoplegia, Amaurosis, Cophosis, Glosoplegia, Pharingoplegia, Cauloplegia, etc. Dantur et internae Paralyces cognitu difficillimae; uti: Cordis, Pulmonum, Diaphragmatis; Tubi intestinalis, imprimis Vesicae urinariae apud viros aetate provecta frequens.



Plus utilitatis habet in Praxi a momentis pathogeneticis petita divisio. *a)* Paralysis Appoplectica post insultum appoplecticum posthuma, in qua initia nervorum communi Sensorio irradicatorum eodem cum Cerebro modo laesa sunt, producens non raro Paralyces parti Cerebri affectae oppositas. *b)* Paralysis Caectica in qua vita altior animalis per consumptionem rapidiorem, aut materierum plasticarum egestatem ad imum prostrata est: quales sunt Paralyces post morbos graves imprimis nervosos perpressos; post animi affectus deprimentes diuturnos, post Venena ingesta, profluvia, et morbos vegetationi infensos, hinc Paralysis toxica, Paralysis metallariorum, Paralysis rachialgica. *c)* Subita corpori sudanti admissa refrigeratio praecedentibus doloribus lacerantibus non raro Paralyces reumaticam producit. *d)* Paralysis a Causa materiali nil aliud est quam sequela morbosae secretionis, extravasationis, aut mutatae organisatio-

nis, quales videre est saepe in Scrophulis, Syphilide Arthritide, et aliis morbis in secretiones morbosas, et superorganisationes pronis, ubi compressi nervi communicatione cum communi Sensorio privantur. e) P. Consensualis in qua parte una affecta, ob communionem, quam vasorum, nervorumque ope fovent, etiam aliae remotae saepe in consensum trahuntur; tales producere visa est saburra biliosa; verminosa. f) Ratione partium in quas potentiae nocentes immediate influxum noxium exerere, assumere licet. P. Cerebralem, Spinalem, Nerveam et Muscularem.



Cum plerumque secundo modo evolvatur, hinc Prodroma eius in morbis protopathicis quaerenda, congestionibus iam activis iam passivis ad cerebrum, medullam spinalem aut nervos; non raro lente irrepentem Paralytium praenunciant: Dolor intensus sine rubore, tumore, calore, tactu non augendus, spasmi, debilitates, tremor, motus iners, sensus obtusus, caloris, frigoris, nutritionis iminutio; ita successive in parte taliter laesa vita tam animalis quam vegetativa emoritur, ac Prodroma in morbum apertum abeunt.

§. 5.

Perfecte morbus hic evolutus pathognomonico Symptomate nimirum sensibilitate et mobilitate sublatis ma-

nifestatur; extremitas quaecunque eo correpta dependet velut mortua, volente aegro non movetur, imo nec nisus in motum observatur; sensus quoque nec applicitis fortioribus stimulis resuscitatur: Hic quidem gradus Paralyseos maximus est, ast rarior, nec diu salva vita persistere potest, nam taliter affecta pars pallida, flaccida, frigida cum pulsu pedetentim debiliore tandem contabescit, vel ob atoniam vasorum resorbentium, et excernentium in tumorem oedematosum convertitur cum pessimo utique exitu. Frequentiores sunt Paralyses imperfectae, quae se manifestant motu et sensu labefactatis, aut uno vel altero sublatis: In primo casu adest motus imperfectus, cum sensu obtuso, circulatio, et nutritio aliquantum abnormes fiunt, cum pulsu debiliore, calore animali depressiore, pallore, ac telae celulosae nisu in contractionem imminuto. In altero Casu motu abolito, saepe sensibilitas normalis imo exaltata, ut pars immobilis dolore acuto vexetur, aut sensu sublato motus ad voluntatis imperium exercetur; subinde tantum sensus obtutus stimulo fortiori sollicitandus, aut perversus adest. Hi tamen mitiores gradus nisi benigna natura, vel simul et ars succurrat cronici fiunt, aut in perfectam Paralysim abeunt.

§. 6.

De Dispositione ad hunc morbum non multa legere est apud Auctores: Ea, quae ex habitu corporis petitur, est congenita, aut haereditate transplantata; post partum evolutam morbi non pauci graves et diurni per-

pessi producant. Ast nec opus est dispositionem tanti facere, cum utique videamus in subiectis habitu nulla labe contaminato praeditis, post certas Causas, e. g. venena plena dosi ingesta vix non semper Paralysem evolvi.

§. 7. *Diagnosim in casu individuali*

Ad *Diagnosim* in singulo casu individuali plenam constituendam praeter *Symptomata* diligens aetiologicum examen multum iuvat. Causa quidem proxima Paralyseos est exercitium functionum systematis nervosi impeditum; ast momenta status huius dynamici, per quae tale impedimentum producitur, sunt diversa relate ad extensionem, et sedem; ideo causas excitantes in topicas, et universales multi Cel. Auctores partiti sunt, quarum singulae vel dynamicae, vel organicae esse possunt, multae organicam nervorum structuram laedunt, aliae actionem eorundem impediunt, aliae propagationem ad commune sensorium intercludunt: huc referimus solutiones continui, contusiones, ulcera, lacerationes nervorum, extravasata sanguinea, puriformia, et serosa; exostoses, incrassationes meningum, tumores inflammatorios, cisticos, hydatides, luxationes vertebrarum, desorganisationes partium solidomollium, ac solidarum. Universalium causarum omnes dynamicae sunt: quae vel sic suum producant effectum, ut vitam vegetativam adimum prostratam exhauriant; quo fit ut in Organismis vitae animalis materiae organisatione amissae non reproducantur; vel vitam sensiferam solam, aut irritabilem simul

ultra modum intendunt, ut maior consumitio locum habeat, quam sumtibus vitae plasticae resarciri possit.

§. 8.

Non paucae potentiarum nocentium genesi hujus mali faventium encephalo insidiantur: Ita congestio sanguinis ab irritatione ejusdem per studia, animi pathemata, spirituosae ingesta, per ictum fulminis, concussionem cranii, venena narcotica, denique per impeditam liberam circulationem in aliis partibus uti sub nixu, graviditate. Nec medula Spinalis raram sedem imprimis Paraplegiarum constituit, quas praeter enumerata vitia organica producant evacuationes nimiae succorum plasticorum imprimis sanguinis, et succi genitalis. Huc et venena metallica, plumbum, Arsenicum Hydrargirum referenda sunt. Producant vero haec noxae ut plurimum Paresim partium infra caput sitarum uti Colli, Thoracis, Abdominis, Extremitatum: Haec subinde ad unam minorem partem limitata est, ut vix dubitare liceat causam proximam in sublato commercio cum encephalo, vel et medula spinali quaerendam esse. Pareses musculorum singulorum saepissimae per extensionem nimiam causantur, quales sunt P. depressoris vesicae Urinariae, Sphincterum, uteri etc. Autopsia Cadaverum causas tum morbi tum mortis docuit; reperta sunt nempe vitia organica, emollitio substantiae Cerebralis, vel medulae spinalis. Ast non pauci Auctores testantur se nil invenisse cui tanquam causae hic morbus, multo minus mors adscribi potuisset.

§. 9.

Prognosis in genere est infausta, nam licet subinde per multos annos vita conservatur, ipse hic morbus tamen artis auxiliis raro perfecte, rarissime naturae soli caedit, momenta ad exitum morbi praevidendum assumenda sunt, nempe aetas, constitutio individualis morbi praegressi et praesentes, gradus ipsius, causae excitantes et sustentantes, duratio, character, ac decursus: Si itaque, aetas iuvenilis, aut virilis, constitutio firma, ante morbum sana, per nullos morbos nec praegressos nec praesentes labefactata, Paralysis mitior, brevi durans, character morbi magis ad phlogisticum accedens, decursus quoque non periculosus symptomatibus stipatus, causae excitantes et sustentantes dynamicæ aut organicæ facile removendæ adsint, morbi cum sanitate permutatio speranda. Nec desunt critica signa se per sudores, vomitus diarrhoeas, urinas cum sedimento, haemorrhagias manifestantia, mobilitas tamen et sensus partis rarissime subito subsequitur. Dolor pruriens, titilans, pulsus fortior calor partis affectæ adauctus optima redeuntis salutis sunt signa. Ubi causae excitantes et sustentantes diutius durantes alienationes organicas, secreta, tumores et his similia produxere, imprimis in senibus exhaustis morbis cahecticis diu vexatis ubi Paralysis partium internarum aut externarum in diem increvenscens adest, ibi non tantum spes de recuperanda sanitate, sed etiam de conservanda vita exigua.

§. 10.

Prophilaxis in evitandis causis, et morbis protopathicis consistit. Multiplicium, quas ad tollendum hunc statum praesentem morbosum in non paucis casibus individualibus pertinacem adhibere necesse est indicationum, duas statuimus, quarum prima in causis nocentibus abigendis, alia in statu dinamico abnormi corrigendo versatur.

§. 11.

Functiones vitae vegetativae examinantes, saepe causas in organis metamorphoseos progredientis aut regredientis, saepius in materiis peccantibus in his accumulatis detegimus: unde illorum dynamicum statum morbosum corrigere has vero evacuare studemus. Functio tubi alimentaris hoc respectu prima consideranda: rarius alacritas, torpor frequentius accusatur unde ingestorum accumulatio, secretorum retentio, ac novorum generatio locum habet, his iam per emetica, iam purgantia, iam specifica quaedam medemur, quibus aut evacuatio contingit, aut nocivus effectus non evacuandorum obtunditur. Emetica hoc respectu tum ob idiopathicum, tum sympathicum, et antagonisticum nervos excitantem effectum merentur. Purgantia quoque praeterquam quod saburram eliminant, etiam sanguinem ad abdominalia viscera alliciendo eundem alii detrahunt, secretiones tubi alimentaris concitando alias imminuunt; sicque in usum tracta iam positive iam negative prosunt. Cautè

tamen merendum est cum emeticis in iis affectionibus quae in encephalo sedem habent: non licet enim oblivisci circuitum sanguinis partium infra Diaphragma sitarum retardari, adeo, ut ex paresi sedem in aliqua parte habente facile praesente dispositione ad congestiones versus centrum hoc nervorum Paralysis universalis evolvi posset. Paralysis per venena productae primo evacuantibus, ac antidotis, tum secundum generales regulas Characteri morbi oppositas curandae sunt.

§. 12.

Non est in potestate medici, ut cognitas licet organicas removeat causas, imprimis eas quae defectu vel alienatione organici se manifestant. Mechanica impedimenta partim Chirurgicis, partim Pharmaceuticis tolluntur remediis: ita compressio nervorum a luxatione, fracturis, per repositionem et reunionem tumores cistici ferro, collectiones seri, puris sanguinis iam per Paracenthesim aut trepanationem; iam remediis resorptionem impellentibus tolluntur, saepe specificis, ubi suspicari licet secretionem per syphilidem scorbutum scrophulas arthritidem productam fuisse. Paralysis ab Infarctibus causatam solventibus impugnamus Cel. Richter testatur Paralysis nervi optici non raram sequelam esse Infarctuum abdominalium, contra quam solventia stimulantibus iuncta adhiberi docet: ut Tart. emet, saponacea, gum. amoniac. Assae foet. valerian. arnic. etc. Suppressum habitualem fluxum sanguinis, aut alias secretiones revocare, methodo antiphlogistica strictiori, aut alias secretiones concitando compensare solemus.

§. 13.

Causis nocentibus abactis vel sponte cessantibus Characterem dynamicum in censum vocamus considerantes constitutionem habitualem totius corporis et partium paralyticarum nec rarum est invenire casus ubi hic status sustentatur per cordis et arteriarum energiam exaltatam; facile hunc Characterem noscimus ex momentis excitantibus, disponentibus, et methodo stimulante sine fructu vel perverse adhibita; qualis status post suppressas haemorrhagias habituales evolvi solet: hunc vassorum erethismum compescimus methodo antiphlogistica strictiori ope Hyrudinum vel Cucurbitarum cruentarum parti in qua haemorrhagia suppressa erat vicinae applicatarum; ita ab Epistaxi alis nasi, a fluxu Catameniorum superficiei femorum internae, labiis pudendorum maioribus, vel perineo, ab Haemorrhoidibus suppressis circa anum regioni sacrococcigeae hyruidines vario numero pro diverso gradu morbi et constitutione aegri applicandae; revocato hac ratione, aut vicaria sanguinis depletione compensato fluxu habituali sanguinis, methodus antiphlogistica mitior continuatur.

§. 14.

In Casu ubi Erethismus vasorum methodo antiphlogistica mitigatus est; Paralysis tamen perdurat, signum est extra vasatum, aut secretionem morbosam adesse hinc actio vasorum resorbentium est moderate impellenda, quod fit purgantibus mitioribus; inter haec Murias

Hydrarg. mitis qui praeterquam quod actionem vasorum resorbentium exaltat humorum coagulabilitatem minuit vasorum tubi intestinalis actionem intendit; hinc partim residuam inflammationem tollit, partim superfluos humores eliminat, datur a gr. uno usque gr. duo omni secunda tertiave hora, actio eius intenditur per decocta diuretica baccarum Juniperi, lapati acuti, ononidis; externe unguento neapolit. iuniperino. Cum digitali purpurea calomela remedium sistit quoad eliminationem materierum imprimis fluidarum nulli secundum.

§. 15.

Ubi symptomata secretionis morbosae in systematis nervosi quadam parte observatur sine omni Characterere synochali, tunc remedia antagonistica, alterantia, derivantia adhibebis, hinc primo. Emetica dosi refracta usque nauseam concitandam. Secundo. Purgantia inter haec maxime comendatur cucumis colocynthidis in pulvere vel melius tinctura, a quinque guttis omni secunda hora ascendendo usque viginti, triginta. Tertio. Diuretica inter haec Digitalis in pulvere a gr. uno usque quatuor pro nictemero, vel Tinctura aetherea quam non ad guttas solum sed ad scrupulos etiam exhibent usque dum nausea, pulsus tardus observentur, remedium heroicum tali dosi in encephalon agit, et quidem debilitando unde cauta dosi adhibendum. Scilla marina sicca in pulv. a gr. 1—5. succus paulo maiori dosi, vel oxymel eiusdem ad dra. 1—2. pro nictemero in decoctis emollientibus, Diureticis, infusis stimulantibus, vel electuariis. Colchicum autumnale Equisetum arvense; Juniperus,

Sabina, praeparata Hydrargiri, stibii mitiora, Balsama huc referenda sunt. Frequentior est Antagonisticorum usus externus iam Hypocrati frequens. Talia sunt Synapismi, emplastrum, unguentum antimoniale, vesicantia, Ferrum candens, moxa, fonticuli setaceum horum usus in hemi et pareplegiis proficuis imediate in parte affecta, vel cum causa mali in medulla spinali haereat, hinc iam secundum totam longitudinem spinae applicari posunt; uti Synap. Vesic. Ung. iam in uno vel pluribus locis uti moxa ferrum, setacea, vel ex utraque parte secundum totam longitudinem, uti fonticuli, e. g. duo quinque etc. quorum applicatio apud modernos medicos rarior, licet remedium magnae sistat virtutis.



Saepe vera Adynamia quam habitus causae debilitantes, aut Therapia antiphlogistica incassum adhibita manifestant, hunc morbum sustentat postulans remedia vitam in systemate nervoso, motumque alacriorem in sangvifero concitantia; uti sunt Herbae, Flores, Radices, Fructus oleo aethereo divites; imprimis Infusa radicum Angelicae Valerianae Silvestris, Serpentariae, Arnicae; queis nectimus Liquores aethereos, tincturas stimulantes, Camphoram subactam, praeparata amoniacalia, Spiritum salis amoniaci anisat: lavand: vinos: Spiritum Cornu cervi, simp. vel succin; oleum animale. Huic fini inserviunt etiam Castoreum Moschus. Dum vero corpus ex nutritione retenta, aut consumptione praecipitata langvet, Stimulantia sola non sufficient,

imo consumptionem accelerabunt; his itaque iungi, aut substitui debent remedia plasticam vitam adiuvantia, roborantia amara, antaro aromatica, cinchonacea, ferrata. Subinde metamorphosis progrediens in bono statu est, memorata tamen pharmaca nihil iuvant; fortiora ergo in usum trahenda: sic Cantharides, quarum Tinctura a gutt. 5. pro dosi augendo usque 15—20. his terve de die. Cell. practici Galli et Angli commendant Rus Toxicodendron, et Rus radicans: pulverem foliorum aut extractum a gr. 1—3 aquam destil. a drach 1—unc. semis pro nictemero. 2-o Nucem vomicam, eius extractum et praeparatum Strichninam dictum ab 1|12 parte grani usque 1|2 rarissime ad gr. 1. pro nictemero. 3-o Phosphorum aethere vitrioli, vel oleo aethereo solutum ita, ut gr. 1|4—1|2 pro nictemero obtingat. 4-o In atonia uteri sub partu non sine fructu adhibetur pulvis secalis cornuti a gr. 10—30. pro dosi. — Haec tamen remedia non tantum organis quibuscum in contactum veniunt insidiosa; sed systemati nervoso, et haematopharo summe periculosa non tantum caute, et rarissime, sed in desperatissimis casibus adhibenda sunt. In Paralysi revmatica praeter dulcamaram et alia diaphoretica, praeter commemoratam Tincturam cantharidum imprimis vinum Colchici autumnalis seminum ad gutt. 10—20 per diem exhibetur.

§. 17.


Remedia externa internis iuncta egregie horum effectum adiuvant; non raro videre est externis solis a

populo empirice adhibitis Paralyces minui, imo tolli. Mitissima sunt: frictiones panno, setaceo, lotiones vinosae, spirituosae, lotiones cum aquis aromaticis. Unguenta, emplastra cataplasmata, stimulantia. Huc et fomenta aromatica sicca, spiritum anthos, spi. fornicarum, referimus. Fortiora sunt linimentum volatile camphora, unguentum nervinum, olea aetherea, oleum destill. Therebinthinae, Spir. Sal. Amon. caust. oleis pingvibus iunctus, Tinctura cantharidum, phosphorus aethere vitrioli solutus, dosi moderata sensibilitati et teneritudini integumentorum accomodata, huc et supra memorata vesicantia, unguenta, emplastra, caustica referenda sunt.



In Casibus rarissimis specifica remedia indicata sunt, ut plurimum in Paralysisibus per similes causas specificas productis, sic in Parolysi a venenis metallicis producta ut plurimum laudantur Thermae sulfureae Pöstenenses, Budenses, Trentsénenses, Mehadiensenses, Austriacae Badenses, hae Thermae partim calore partim specifico quo sulfur in systema cutaneum gaudet stimulo sangvinem versus periferiam pellendo in Paralysi a suppressis exanthematibus multum prosunt, ubi natura has denegat, arte parantur aquae tepidae 240 Pf. addendo Liquoris Hydrosulfuretici Pf. 12. Nec minor est harum, et alkalinarum thermarum in Paralysi ab arthritide retrograda syphilide, Revmatismo effectus. Roborantia balnea cum iisdem internis remediis iungenda

esse per se patet, sunt autem iam naturalia ut plurimum martialia: iam arte facta e globulis martialibus parata, vel vinosa spirituosa, aromatica, cum vino, spiritu vel spiritu formicarum herbis aromaticis parata; vel sunt irritantia, qualia cum solutione tartari emetici fiunt, ut plurimum topica. Nec sunt negligendae frigidae perfusiones ex alto, vel stillatione applicitae, balnea vaporacea solius calidae aquae, vel supra memoratarum thermarum profuisse experientia testatur. Joann. Pet. Frank. contra omnem Paralysem unguentum Hydrargiri ciner. adhibere docet, nos tamen usum eius aliquantum restringimus memores Hydrargirum potenti virtuti solventi antiphlogisticae iunctam habere, ac proin usum eius in Paralyse a debilitate prohibemus, nisi haec syphilidi iuncta esset, in hoc enim morbo semper principem locum tenet Hydrargirum.



§. 19.

Remediorum externorum potentissimam esse Electricitatem et Galvanismum Experientia testatur multorum saeculorum, nostro tamen aevo quamvis agnitionum rarissime tamen usitatum, nec immerito, nam non pauca adsunt impedimenta ex parte medicorum, et aegrorum, locus minus commodus, machinae, earum reparatio, frequens purgatio non cuilibet committenda, quae suntus non exiguos, labores diutius protractos, medicis praeterea ingratos requirunt. Indicatur Electricitas in omni Paralyse ubi nota phlogistica, vitium organicum absunt. Requisite sunt Machina Electrica major constans Disco;

Conductore metallico primario, conductoribus secunda-
 riis catenis variae longitudinis, ac filis metallicis, Vitris
 armatis ad minimum tribus inaequalis magnitudinis,
 Insula lignea vitreis pedibus bene isolata, adsint porro
 explosives, communicatores manubriis vitreis instructi,
 in opposito sine globulos referentes, nudos iam panno
 velatos, aut cupsides pariter nudas aut conis eburneis,
 vel ligneis provisas: illi ad scintillas eliciendas, vel
 communicandas, hae ad ventulum electricum exhalandum
 adhibentur. Inter eos a multis auctoribus comendatos
 commemorari merentur ii, qui constant tubulis vitreis pa-
 rietibus crassis filum ferreum recipientibus ad exitum in
 nodulum desinens, ad introitum anulum referens; adhi-
 bentur in Paralysis internis, tubi intestinalis, uteri
 etc. imponendo partem in nodulum desinentem orificiis
 naturalibus, anulum vero oppositi finis per catenam in
 contactum ponendo cum vitri armati superficie interna
 positive electrica, ita tamen ut alia pars corporis iam
 antea cum polo negativo i. e. superficie externa iuncta
 sit, hac ratione ictulos parvos parti internae paralyticae
 communicamus. In Universum in applicatione hujus re-
 medii observandi sunt gradus ejus, minimus est frictio
 panno vel setaceo asperiori, maior est qui per machi-
 nam excitatur; quatuor sunt hujus gradus 1-o Ventulus
 Electricus communicatur cuspidibus metallicis, vel conis
 ligneis filo cum conductore primario iunctis et remotius
 a Cute servatis. — 2-o Balneum Electricum aegrum in
 insula situm electricando usque dum capilli assurgunt
 pulsus frequentior fiat et calor exaltetur. — 3-o Scin-
 tillae, quae vel communicantur aegro non isolato ope
 communicatoris globosi, vel ex eodem super insulam
 constituto eliciuntur. 4-o Sunt ictus: dum pars una. e. g;

pes paralyticus cum superficie externa alia vero e. g. manus cum superficie interna in contactum ponatur; hi ictus suos gradus habent qui attemperantur diversa magnitudine vitrorum, vel diversa quantitate Electricitatis communicata v. g. discum circa axem bis, ter, sexies etc. rotando: unde fit ut in vitro eodem succussiones iam parvae, iam majores produci possunt. Hunc modum in communicando fluido electrico tenendum esse inde patet, quod, minimus gradus, saepe mediocris sufficiat ad morbum alleviandum, irrationale igitur esset a fortioribus incipere, cum utique sciamus multos aegros praesertim qui iam ictum vehementiorem experti sunt, abhorreere, in aliis vero tam ingratae sensationem produci, ut reiterationem applicationis magis aversantur, quam praesens malum.



Galvanismus nil aliud est quam Electricitas per Chemicismum hic magis conspicuum, quam in machina electrica elicit, in hac enim oxidatio partium constituentium amalgamatis fit via sicca tritu corporis Idio electrici effectum suum nempe electricitatem producens; in machinis vero galvanicis oxidatio fit via humida. In priori electricitas non nisi motu excitatur subquo particulae amalgamatis in contactum veniunt: In hac cum Chemicismus via humida fiat, cumque corpora in libero motu et continuo contactu sint; hinc etiam electricitas continuo evolvatur est necesse. E multiplicibus in Physica memoratis apparatus, medicus Columnam Voltae seligit:

constat haec discis in diametro sesqui tertium pollicem habentibus, quilibet horum duabus laminis metallicis conferuminatis diversam ad Oxygenium affinitatem habentibus absolvitur. Commodissime et mediocri praetio paratur e Zinco et Cupro; ita ut disci infimi superficies seu lamina inferior in processum unciformem desinens sit Zincina, supraemi vero lamina superior pariter sic desinens sit Cuprea, inter caeteros intermedios duplici hoc metallo compositos discos lacinia panni etiam disciformis in solutione muriatis sodae, vel aur. amoniae macerata et expressa interposita sit. Comoda hujus columnae sunt; quod spatium minus occupet, facilius transportari possit, minoris praetii sit, et quod numero discorum aucto effectus augeri possit, et contra. Subinde sufficiunt iam 15, 20, sed saepe usque 60. augentur imprimis in Paralysi cum sensibilitate iminuta, vel plane suppressa. — Modus applicandi facilior, aeger in lecto etiam tractari potest: praeter conductores metallicos fila, catenas, etiam conductor humidus solutio videlicet salina supra memorata requiritur, qua pars cui immediate comunicatur galvanismus humectatur; ut tamen effectus producatur plenus, polus uterque partibus remotis applicandus est; effectus hic consistit in ictibus se cito excipientibus, ut motus convulsivo similis oriatur: Non semper opus est aegrum in circulum succussionis includere, nam sensibiliores aegre ferunt, ideo his polum unum v. g. Zincinum immediate applicamus: alius vero poli catenam, globulo vel dummo argenteo in fine provisam oscillando promovemus versus membra paralytica.

§. 21.

Celeberrimus Mezmerus, et discipuli eius imprimis Cel. Wolfart, multum gloriantur de Paralyti per applicationem Magnetismi animalis sanata: Non sunt haec Cel. Virorum iactationes inanes, uti plurimi opinantur, sed sinceræ relationes, historiis veris et experientia comprobatae. Nec dubium est per influxum hominis sanidum imaginatio et confidentia aegri exaltatur per hunc ipsum psychicum statum exaltatum, sicut alios plurimos morbos, ita hunc quoque subito non raro tolli. Observationes testantur per animi pathemata Paralytim sanatam fuisse; sic Cel. Swietenius de hemiplectico per plures annos decumbente refert, qui conflagrante sua domo e lecto surgit per fenestram exiit, et tota vita deinceps liber ab hoc malo existit: Si itaque hic animi affectus ingratus tantum effectum produxit facile quisque secum reputans concipere poterit, quantum valebunt affectus animi grati, qui per magnetismum animale ad summum concitantur.

§. 22.

Quod si felix ars Phœbi eo felicitatis aegrum perduxerit: ut motu sensuque membris restituto pristina redeat valetudo, ad recidivam impediendam adhuc The-

rapia proficua ultro continuanda, partes restitutae moderate exercendae, atque ad dyathesim paralyticam penitus extinguendam Causae nocentes individuales solerter fugiendae.



T h e s e s .

1.

Lacti materno sincero necquidem lac nutricis perfecte substitui potest.

Infans serotino partu editus in evolutione potius cedit.

Applicatio Forcipis praevis pedibus, genibus, natibus, plus noxae quam utilitatis habet.

4.

Cholera morbus est epidemico contagiosus.

5.

Sanguis non solo impulsu cordis movetur.

6.

Venenum viperinum effectum noxium immediate in sanguinem exerit.

7.

In Paralyti perfecta irritabilitas sublata non est.

8.

Electricitas in Paralyti adynamica remedium praestantissimum.

9.

Hyperkeratosis sola refractione radiorum abnormi visui infensa est.

Iritis Syphilitica internis remediis tuto sanari nequit.

Sani ad arcendos morbos remediis utentes eosdem contrahunt.

12.

Causam febris biliosae non sistit saburra.

13.

E sectione cadaverum plerumque effectum morbi, non causam detegimus.

